

nias gentes turcīs ipsis confines esse propugnaculum quoddam et antemurale christianitatis in ea parte et ad turchas disturbandos maxime oportunas, de-
reverimus statim cum ipsis venerabilibus fratribus nostris ad majestatem tuam scribere, et ad eam de tota rerum summa et societatis conficiendae rationem referre. Nam, si contra turchas nunc ineunda, sicut optassemus, colligatio et societas omnium principum ac potentatum sit expectanda, res certe nimis pro-
erastinando protraheretur, cum interim hostis vigi-
lans, sathanæ minister, vires suas in immensum aug-
eret. Iam classes formidabilesque exercitus e stativis in oppida et portus nostros eduxit; quibus nisi cele-
riter accurratur, de Italia actum erit. Quapropter, cum omnis dilatio sit perniciosa et periculi plena, consilium denuo quod non solum expeditissimum sed etiam necessarium esse cum ipsis fratribus nostris statim cœpimus: faciendam esse pro hac expe-
ditione ad aliquos annos colligationem aliquam et belli societatem inter nos ac sedem apostolicam et aliquos regum ac principum primores de fide catholica bene semper meritos, qui et proprio instituto et pro tuitione rerum suarum, facile possunt et labo-
rantibus auxilia mittere et cæteros principes ad com-
munem belli fortunam excitare. Qua quidem in re, tua in primis occurrit majestas, in qua omnium oculi sunt conversi, cui, ut plurimum, confidimus; non modo faciunt ad nos litteræ tue, quibus in hanc rem multa liberalissimo et catholico atque regio animo polliceris, et majorum tuorum instituta, qui semper in hujusmodi fidei negociis primas sibi partes gloriose assumpserunt, sed etiam, Domino fortunante, tot rerum tuarum in Italia successus, ejus cum bonam atque magnam partem, conquisito dueatu mediolanense, obtinueris, Italæ nunc tutandæ ab injuria tetricimi hostis majorem quam antea rationem a te haberi convenit. Sunt et carissimi in Christo filii nostri Hispaniarum reges, qui cum semper in fidei defensione promptissimi sint, et de infidelibus gloriosam victoriam reportare consueverint, nunc etiam pro divini nominis gloria et pro Sicilia sua ab omni turcharum periculo tutanda, sicut litteræ suæ testantur, nihil ad hanc rem prætermittent. Quorum magna et expedita classis, si cum veneta classe conju-
cta fuerit, magnum sane rebus momentum fecerit. Sunt veneti, quorum auctoritas et potentia omnibus innotescit; ipsi quidem pro consuetudine sua, et nunc pro urgente se periculo, totis viribus enitentur. Quos omnes, ubi tue celsitudinis auspicio atque auctoritate colligatos, adjuncto etiam, ut præfertur, præfato Hungariæ rege, quem ad hanc societatem necessa-

rium indicamus, cæteri principes audierint, omnes, ut sperabamus, continue subsequentur; quamquam, ut arbitramur, satis ista futura est societas. Quod ad nos propterea attinet, non solum in regno et om-
nibus dominiis tuis, ut requirebas, decimam in hanc expeditionem convertendam, sed etiam nobis ipsis et venerabilibus fratribus nostris sanctæ romanæ ecclesiae cardinalibus, et omnibus officialibus curiae nostræ, et in omnibus ecclesiæ civitatibus, terris et locis, ac universo clero per universum orbem chris-
tianum, de eorumdem fratrum nostrorum consilio, nuper imposuimus. Quandoquidem non solum hu-
smodi decimas, sed facultates omnes nostras, et vi-
tam denique ipsam, si opus sit, pro communi chris-
tifidelium salutem, parati sumus exponere, et perso-
nam nostram, tanquam hostiam Deo placentem of-
ferre. Quapropter, quoniam ex divina clementia ad-
huc miserendi tempus est, majestatem tuam, quanto possumus studio, cohortamur in Domino, et attente requirimus, ac per viscera misericordiæ Salvatoris nostri rogamus, ut suscepta huius sanctæ et gloriose societatis cura, velit exemplo suo reliquos principes excitare, et ad oratores suos apud nos agentes, legiti-
mum ac speciale mandatum super hac re quamprimum mittere, ut sine omni mora ac dilatione præ-
dicta societas et confederatio per aliquod tempus concludi possit. Et quodcumque de genere belli, de exercitibus, de ratione impensæ conclusum et con-
ventum fuerit, non expectatis aliis consultationibus, executioni demandetur, erit hoc nobis jucundissi-
mum, tua majestati dignum, et gloriosum opus et christiane reipublicæ salutare; tum illud etiam se-
quetur, ut quod nomine decoraris, factis quoque chris-
tianissimus habearis.

Data Romæ etc.

Mostrato a la Signoria per lo episcopo di Chai.

Collegium primo julii 1500.

165 * 165 *

Consiliarii.

Sier Baldiseras Trivixano.

Sier Lucas Zeno.

Sier Johannes Mauroceno.

Sier Petrus Contareno.

Sier Dominicus Bollani.

Sier Antonius Trono.

Capita de quadraginta.

Sier Johannes Matthæus Contareno.